Quelle: https://manuscripta.at/?ID=793
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



102
260

Discipli enim eius abierant in ciuitatem ut cibos
emerent Dicit ergo ei mulier illa samaritana. Quomodo
tu iudeus cum sis. bibere a me poscis. qui sum mulier
samaritana. Non enim cohutuntur iudei samaritanis
Respondit ihesus et dixit ei. Si scires donum dei
et quis est qui dicit tibi. da mihi bibere. tu forsitan
petisses abeo et dedisset tibi aquam uiuam Dicit ei
mulier Domine neque in quo haurias habes et puteus
altus est. unde ergo habes aquam uiuam. Numquid tu
maior es patre nostro iacob qui dedit nobis puteum,
hunc et ipse ex eo bibit et filii eius et pecora eius
Respondit ihesus et dixit ei Omnis qui bibit ex aqua
hac iterum sitiet. qui autem bibit ex aqua quam ego
dabo ei non sitiet in eternum sed aqua quam ego da
bo ei. fiet in eo fons aquae salientis in uitam eternam
Dicit ad eum mulier. Domine da mihi hanc aquam,
ut non sitiam neque ueniam huc haurire Dicit
ei ihesus Vade uoca uirum tuum et uenit huc.
Respondit mulier et dixit ei. Non habeo uirum Dicit ei
ihesus Bene dixisti quia non habeo uirum Quinque enim
uiros habuisti et nunc quem habes non est tuus uir hoc
uere dixisti Dicit ei mulier. Domine ut uideo quia propheta
es tu Patres nostri in monte hoc adorauerunt et uos
dicitis quia ierusalem est locus ubi adorare oportet